

14.

# Programm

des

Gymnasiums der Stadt Pyritz,

womit

zu der öffentlichen Prüfung am 4. April

ergebenst einladet

Dr. Adolf Zinzow,  
Director.

---


Inhalt:

1. De expeditionibus a Demetrio Poliorceta in Graeciam susceptis vom Gymn.-Lehrer Dr. Schmidt.
2. Schulnachrichten vom Director.

---

Pyritz, 1873.

Druck von Ed. Giese.



11

# Journal

der ...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



## De expeditionibus a Demetrio Poliorceta in Graeciam susceptis.

Antequam expeditiones a Demetrio ad Graeciam in libertatem vindicandam susceptas enarremus, non alienum esse videtur paucis proponere de rerum Graecarum factionumque mutationibus, quae ab Alexandri morte usque ad annum 307 factae sunt, quo quidem tempore Demetrius ab Antigono patre copiis navibusque satis bene instructus primum in Europam transgressus est. Alexander enim cum iniurias a Persarum rege Graecis priore tempore illatas ulturus cum exercitu Hellespontum traiceret, praefectum Macedoniae reliquit Antipatrum eique mandavit ut videret, ne Graeci libertate post Thebas dirutas accepta abuterentur. Nam quamquam a Philippi patris temporibus in omnibus fere Graeciae urbibus erant, qui aut auro Macedonico corrupti aut de libertate Graeciae recuperanda plane desperantes a Macedonum partibus starent, Alexandrum tamen fugere non potuit, permagnum esse numerum eorum, qui cum salutem solam in libertate positam esse persuasum haberent, occasione data omnibus viribus enisuri essent, ut Macedonica illa libertate abiecta suas res ipsi regerent. Neque eum opinio fefellit; nam nuntio de Alexandro mortuo in Graeciam perlato omnes fere civitates Atheniensibus auctoribus arma ceperunt animisque meliore fortuna dignis pro libertate adversus Antipatrum pugnare constituerunt. Mox autem bello Lamiaco non tam armis Macedonicis quam sociorum defectione<sup>1)</sup> superati Athenienses ab Antipatro eas pacis condiciones impetraverunt, ut iure Xenocrates philosophus, unus ex legatis de pace in castra hostium missis Antipatro poscenti, ut Demosthenes et Hyperides sibi dederentur, respondisse videatur „Antipatrum Atheniensibus, si servos eos putaret, moderatum, sin liberos, inhumanum se praebuisse<sup>2)</sup>.“ Similia vel potius graviora reliquas urbes, quibus Antipater potitus est, passas esse probabile est eo, quod Phocioni amico soli talia se concessisse dixit<sup>3)</sup>. Id quidem constat, illum ubique, nisi quod Spartam non cepit, praesidia collocasse, quibus civitates quominus se moverent impediret. Quo facto una cum Cratero, qui paulo ante ex Asia cum decem milibus veteranorum ad eum pervenerat, in Aetolos contendit, qui fortissimi omnium Graecorum, perpetuis rapinis bello assueti naturaque terrae tuti non facile superari poterant. Ei enim mulieribus, liberis omnibusque, quae moveri poterant, in saltus invios

<sup>1)</sup> Droysen: Geschichte des Hellenismus I. p. 88. <sup>2)</sup> Plutarch. Phocion. 27.

<sup>3)</sup> Non admodum premenda sunt, quae exstant apud Diod. Sic. 18. 18: „ὁμοίως δὲ καὶ ταῖς ἄλλαις Ἑλληνικαῖς πόλεσιν ἐπιεικῶς προσενεχθεὶς καὶ τὰ πολιτεύματα συναγαγὼν καλῶς καὶ καταστήσας, ἐπαίνων καὶ στεφάνων ἔτυχεν.“



comportatis, acerrime restiterunt. Neque tamen est dubium, quin futurum fuerit, ut multitudine Macedonum opprimerentur, nisi Antipater rebus Asiaticis motus pacem cum iis composuisset. Sic, si Lacedaemonios et Aetolos exceperis, exeunte anno 322 maior pars urbium et civitatum Graecarum Antipatro parebat<sup>4)</sup>. Triennio post<sup>5)</sup> Antipater Macedoniae et Graeciae administrationem regumque Arrhidaci et Alexandri, Roxanes et Alexandri filii, quos ex Asia transducos Pellae libertatis specie in custodia tenuerat, tutelam moriens Polysperchonti tradidit, qui virtute bellica inter duces Alexandri excelebat. Cui cum eam potestatem Cassander, Antipatri filius, invideret, novum bellum conflatum est. Is enim aegre ferens, quod a patre Polysperchonti posthabitus esset, regno paterno vi potiri conatus est. Quibus cognitis Polysperchon, ut Graecorum animos sibi conciliaret, Philippi Arrhidaci regis nomine litteras dedit ad Graecos, in quibus scriptum erat, ut urbes liberae essent quique ab Antipatro post bellum Lamiacum patria pulsati essent, restituerentur<sup>6)</sup>. Quae ut perficeret, ipse cum exercitu in Graeciam profectus est; neque vero prohibere potuit, quominus Cassander, qui cum exiguis copiis in Asia collectis in Graeciam transierat, usque ad annum 317 magna urbium parte potiretur. Atque temporibus insequentibus praeterquam quod urbes singulae factionibus turbabantur regionesque Graeciae a Polysperchontis Alexandrique filii mercenariis vastabantur, Antigonus quoque, qui Eumene victo ingens regnum in Asia sibi paraverat, et Ptolemaeus, Lagi filius, qui Aegyptum obtinuit, Graeciam petiverunt. Atque ille quidem anno 315 Tyri, quam urbem tum forte oppugnabat, militum concione habita, Graeciae libertatem curae sibi esse contenderat<sup>7)</sup>, et Polysperchontem eiusque filium Alexandrum, qui auxilium adversus Cassandrum petiturus in castra venerat, duces regios una cum Aristodemo, quem cum mille talentis, ut mercenarios Graecos conduceret, in Peloponnesum miserat, bellum contra tyrannum gerere iusserat. Quibus initio res prospere cesserunt; sed cum Alexander magnis Cassandri promissis pellectus Antigoni patrisque rem prodidisset, ne Aristodemus quidem in Peloponneso hostibus resistere potuit. Itaque ad Aetolos se contulit, unde adversus Cassandrum et Alexandrum rem gerebat. Eodem anno<sup>8)</sup> Ptolemaeus quoque operam se daturum esse confirmaverat, ut Graeciam in libertatem vindicaret; sed propiore periculo ab Antigono imminente, neque ipse transire, neque copias transducere potuerat. Antigonus contra anno 313 alteram expeditionem Telesphoro duce in Peloponnesum miserat et classem centum quinquaginta navium Ptolemaeo, ex fratre nepote, et Medio ducibus in Graeciam traiecerat, quorum Ptolemaeus, classe ad portum Aulidensem appulsa, a Boeotis duobus milibus ducentis peditibus, octingentis equitibus auctus per biennium tam bene rem gessit, ut magnum numerum urbium a dominatione Cassandri liberaret vel potius libertatis nomine in Antigoni potestatem redigeret. Dum ea in Graecia geruntur, in Asia quoque pugnatum est inter Antigonum, Ptolemaeum, Lysimachum, Cassandrum. Anno demum 311, pace facta<sup>9)</sup>, qua constitutum est, ut Cassander, dum Alexander, Roxanes filius impubes esset, Macedoniae, Lysimachus Thraciae, Ptolemaeus Aegypti urbiumque Arabiae et Lybiae adiacentium, Antigonus totius Asiae dominus esset, Graeciae civitates liberae essent, ducum discordiae de provinciis ortae videbantur esse compositae. Sed cum neque Cassander praesidia, quae per urbes Graecas collocata habebat, neque Antigonus legatos suos revocaret, fieri non potuit, quin brevi post denuo exardesceret bellum, quo proditione Ptolemaei<sup>10)</sup> et defectione Polysperchontis<sup>11)</sup>

<sup>4)</sup> Thessaliam iam pridem ab Alexandro ipso provinciam Macedoniae habitam esse docent verba Arriani. VII, 2: „Μακεδονίας τε καὶ Θράκης καὶ Θετταλῶν ἐξηγεῖσθαι (Κράτερον) καὶ τῶν Ἑλλήνων τῆς ἐλευθερίας.“

<sup>5)</sup> Diodor. 18, 48. <sup>6)</sup> Diodor. 18, 56. <sup>7)</sup> Diodor. 19, 61. <sup>8)</sup> Diodor. 19, 62. <sup>9)</sup> Diodor. 19, 105.

<sup>10)</sup> Diodor. 20, 19. <sup>11)</sup> Diodor. 20, 27.



factum est, ut Antigonus omnibus urbibus, quas in Graecia occupaverat, privaretur. Sed ne Ptolemaeus quidem, princeps Aegypti, qui anno 308 cum classe in Graeciam venerat, quidquam perfecit, nisi quod a Cratesipoli, vidua Alexandri, quem commemoravimus, Corinthum et Sicyonem urbes ex foedere accepit, quibus praesidio firmatis in Aegyptum revertit<sup>12)</sup>. Sic exeunte anno 308 maior Graeciae pars in potestate erat Cassandri; Corinthus et Sicyon a Ptolemaeo praesidiis occupatae tenebantur; Aetoli et Lacedaemonii libertate utebantur. Iam animum convertamus ad expeditionem primam a Demetrio in Graeciam susceptam.

## Expeditio I.

ann. 307.

Anno 311 cum pax componeretur, Antigono auctore principe factum erat, ut civitates Graeciae liberae constituerentur, non quod eius urbes liberas esse magnopere interesset, sed quod Cassandro eas eripere voluit, qui haud scio an speraverit, fore ut inde in Cassandri regnum ipsum invadere posset. Sed longe aliter res cesserunt, ac speraverat. Dum enim ipse rebus in Asia gerendis distinetur, non modo, quae in Graeciae obtinuerat, amisit, sed ne impedire quidem potuit, quominus Cassander et Ptolemaeus paene universa Graecia potirentur. Itaque cum intellexeret, nisi magno successu rem perditam restitui non posse, consilium cepit „nobilissimum et laude dignissimum, universam Graeciam a Cassandro et Ptolemaeo servitute oppressam liberare“<sup>13)</sup>. Neque dubitari potest, quin vere de Graecia liberanda cogitaverit; nam in concilio cuidam dicenti, „debere eum Athenas, si cepisset, in sua potestate retinere, ex quibus aditus in totam Graeciam pateret,“ repudiato illo consilio respondisse fertur, „benignitate Graecorum animos se sibi esse devincturum, ab Athenis autem, tamquam orbis terrarum specula, celeriter famam omnium, quae fecisset, ad omnium hominum dissipaturam esse memoriam“<sup>14)</sup>. „Eo animo motus, quam plurimis navibus instructis, Demetrium filium“<sup>15)</sup> classi praefecit, quo ducem meliorem eligere non poterat. Flagrabat enim ille summo studio et cupiditate cum Graeciae tum Athenarum libertate sempiternam gloriam sibi acquirendi. Is igitur rebus omnibus ad rem bene gerendam abunde comparatis initio mensis Iunii anni 307 cum classe ducentarum et quinquaginta navium ac argenti quinque milibus talentorum Epheso solvit. Ut vero quam maxime inparatas offenderet Athenas, neve nuntius de classis adventu eo perferri posset, etiam suos cursum celavit naviumque gubernatoribus epistulas obsignatas tradidit, in quibus perscriptum erat, quo cursum dirigerent, si forte in itinere tempestate disiecti essent<sup>16)</sup>. Navibus autem omnibus ad Sunium promunturium appulsis incolumibus, paulisper moratus cum viginti navibus, reliqua classe relicta, Salaminem insulam peti simulans profectus est. Quo dolo praeclare fefellit Athenienses; ei enim una cum Demetrio Phalereo<sup>17)</sup> naves de arce conspectas Aegyptias esse rati Corinthum versus navigantes<sup>18)</sup>,

<sup>12)</sup> Diodor. 20, 37 et Polyæn. 8, 58. <sup>13)</sup> Plut. Dem. 8. <sup>14)</sup> Plut. l. c.

<sup>15)</sup> De priore Demetrii vita, moribus rebusque gestis cf. Plut. Dem. 2—7. Droysen. p. 432 sq. 616 a. l.

<sup>16)</sup> Polyæn. 4, 7, 2.

<sup>17)</sup> Demetrius Phalereus, a Cassandro Athenis praepositus, urbem tum annum decimum administrabat. Cf. Diog. Laert. V. 75. Strabo IX. p. 398.

<sup>18)</sup> Ea leguntur apud Plut. Dem. 8 et Polyæn. 4, 7, 6. Haud scio an falso legerit Droysen. p. 435 not. 19: „von ihm (Plut.) weicht Polyæn namentlich auch darin ab, dass er sagt, jene Schiffe seien für feindliche gehalten worden, wogegen Plutarch sie als befreundete erkannt werden lässt; nam quomodo ex verbis Polyæni: „ἀπὸ δὲ τῆς ἀροπύλων“



Piraei portus introitus praecludere neglexerunt. Quas cum mutato cursu Piraeum petere viderent seroque errore cognito magno clamore sublato ad defendendum portum decurrerent, per apertas fauces naves in portum ingressae erant. Tum Demetrius, clamantibus et tumultuantibus omnibus, stans in navis prora, regio ornata indutus omnibusque conspicuus, signum dedit, ut silentium fieret. Quo facto per praeconem edixit, „missum se esse a patre, ut pulso Cassandri praesidio Atheniensibus pristinam libertatem, leges, rempublicam restitueret.“ Quibus auditis Athenienses armis depositis summo cum plausu iterum atque iterum liberatorem et servatorem eum praedicantes rogaverunt, ut descenderet ac perficeret, quae pollicitus esset. Ipse quidem in urbem non iam liberatam intrare recusavit, sed milites exposuit, a quibus levi proelio commisso Piraeus occupatus est. Atque cum Dionysius, Cassandri praefectus, Munychiam, Demetrius Phalereus in urbem se recepissent, reliquis navibus Sunio accitis, Munychiae castellum terra marique obsessum haud ita multo post oppugnatum est. Sic Piraei portus Idibus Iuniis<sup>19)</sup> captus est. Postero die Demetrius Phalereus cum magis sibi metuendum esse sentiret a civibus quam ab hostibus, legatos misit ad Demetrium, qui, ut urbs traderetur, paciscerentur sibi que praesidium ab eo peterent. Quibuscum benigne collocutus Demetrius, „quod gloriam viri et virtutem magni faceret,“ libertatem Atheniensium pactus Aristodemum Milesium, patris amicum, misit, qui Phalerei salutem provideret et praesidio firmo circumdato Thebas eum deduceret<sup>20)</sup>. Quibus constitutis, Munychia fossa muroque ab aditu urbis interclusa, Demetrius Megara, quae Cassander praesidio tenebat, classe contendit. Quae dum oppugnantur, expeditionem periculosam eamque minus honorificam suscepit. Cratesipolis enim, Alexandri, Polysperchontis filii, vidua, mulier formosissima et audacissima, tum forte Patris commorabatur. Quae cum audivisset Demetrium apud Megara esse, certiores eum fecit cupere se eum convenire. Itaque Demetrius voluptatis illecebris excitatus cum paucis expeditis confestim eo profectus procul a conspectu omnium, ne mulier, cum ad ipsum ingrederetur, a quoquam conspiceretur, tabernaculum magnificum tetendit. Dum vero eius adventum expectat, hostes nonnulli ea de re certiores facti impetu repentino facto in tantum eum discrimen adduxerunt, ut aegre amiculo vili arrepto manus eorum effugeret. Paulo post Megara capta et praesidio Macedonico liberata sunt<sup>21)</sup>. Dum ipse Demetrius in Isthmo commoratur, militum pars, quos ad Munychiam reliquerat, castello obsessio prohibebat, ne quid auxiliorum aut cibiorum obsessis suppeditaretur, pars machinis construendis ad urbes oppugnandas idoneis operam navabat. Quibus confectis postquam Demetrius Megaris liberatis Munychiam revertit, statim castellum machinis moenibus admotis vehementissime oppugnari coeptum est. Per biduum ab utraque parte acerrime pugnatum est; sed postquam muri telorum multitudine defensoribus nudati arietumque ictu collabefacti sunt, Dionysius, omni spe auxilii sive a

κατιδὼν (Δημήτριος ὁ Φαληρέως) τὰς εἴκοσι νέας ἐπὶ Σαλαμῖνος πλεούσας, ἐνόμισεν εἶναι Πτολεμαϊκὰς ἐπὶ Κορίνθου πορευομένας“ erui possit, naves illas hostiles habitas esse, me non intellegere confiteor.

<sup>19)</sup> Plut. Dem. 8. Cf. Droysen, p. 434 et Clint. fast. Hell. edit. Krueger p. 184.

<sup>20)</sup> Ea exstant apud Diodor. 20, 45. Eodem die legatos a Phalereo missos esse, dicit Plut. Dem. 9 eumque secuti Droysen, p. 436 et Rollin, Histoire ancienne VII p. 191. Errat autem Droysenius dicens Phalereum ipsum in Piraeum, ut cum Demetrio colloqueretur, descendisse, cuius rei neque Plut. neque Diodor. mentionem faciunt.

<sup>21)</sup> Athenienses quidem multis precibus ab eo impetrarant, ut civibus parceretur; multa vero a militibus direpta esse verba docent Plutarchi Dem. 9. Ἴδὼν δὲ θεραπόντων σχεδὸν ἀπάντων διακλαπέτων, ἐπεὶ αὐτὸν ὁ Δημήτριος ἐφιλοφρονεῖτο καὶ τέλος ἀπαλλαττόμενος εἶπεν, „Ἐλευθέραν ὑμῶν, ὦ Στίλπων, ἀπολείπω τὴν πόλιν,“ „Ὅρθῶς“, ἔφη, „λέγεις· οὐδένα γὰρ ἁμῶν δούλων ἀπολέλοιπας.“ Cf. Plut. de lib. educ. p. 5 et Senec. de const. sap. c. 5 et Ep. 9.



Cassandro sive a Ptolemaeo destitutus castello tradito se suosque victoris arbitrio permisit. Ipse captus est atque castellum funditus eversum. Quae quo tempore facta sint etsi certo definiri non potest, tamen vix errabis, si cum Droysenio exeuntem mensem Augustum vel ineuntem Septembrem posueris<sup>22)</sup>. Iam ultimo praesidio Macedonico finibus Atticis eiecto Demetrius Atheniensibus invitantibus obsecutus in urbem intravit. Ubi populo in concionem convocato de suggestu pronuntiavit, rem publicam esse liberam, seque a patre impetraturum, ut et frumenti centum quinquaginta milia medimnorum et ligna, quae centum triremibus fabricandis sufficerent, dono darentur, Imbrusque insula, quam priore tempore possedissent, redderetur<sup>23)</sup>. Quibus rebus admodum gavis Athenienses immodicis honoribus Demetrio eiusque patri Antigono attribuendis ut ipsos se ridiculos et contemnendos, sic illos molestos et invisos reddiderunt. Primi enim omnium nomen regium iis indiderunt, deos servatores nuncupaverunt eponymoque magistratu sublato sacerdotem servatorum creaverunt, cuius nomen edictis inscriberetur<sup>24)</sup>. Eidem et locum, quo Demetrius a curru descenderat, consecraverunt aramque ibi Demetrii Catabatae dedicaverunt, et decem prioribus tribubus duas addiderunt, Demetriadem et Antigonidem. Munychioni mensi Demetroni, ultimo cuique singulorum mensium diei Demetriadi, Bacchanalibus Demetriis nomen datum est. Iuxta statuas Harmodii et Aristogitonis quadrigae aureae cum statu is Demetrii et Antigoni coronis aureis ducenorum talentorum ornatis sunt positae. Atque Stratocles quidam legem tulit, „ut, si qui publico edicto ad Antigonom vel Demetrium mitterentur, ei non legati sed theori nominarentur.“ Alter Stratocle impudentior, Demetrium, quoties Athenas veniret, iisdem honoribus quibus Bacchum et Cererem, excipi iussit. Omnes vero superavit insolentia et impietate Dromoclides quidam vel Democles Sphettius, qui de dedicatione scutorum Delphica a patriae liberatore oraculum peti iussit hac lege lata: „Quod felix faustumque, vellet iubeat populus Atheniensis deligi Atheniensem quendam, qui ad Servatorem eat et litato Servatorem interroget, quomodo piissime, optime, celerrime populus donaria dedicare possit; qui quod iusserit, id ita faciat populus<sup>25)</sup>.“ Ut vero in honoribus Demetrio Poliorcetae deferendis ita in abrogandis Demetrio Phalereo parum modum servaverunt. Cui cum, dum vigeat, populus trecentas et sexaginta statuas posuisset, tum statuae illae non modo deiectae et disiectae, sed etiam ipse et amici, inter quos erat Menander, poeta comicus clarissimus, capitis accusati et absentes damnati sunt. Rectissime de ea levitate et inconstantia aurae popularis ante hos centum quadraginta annos mihi videtur iudicasse Rollin VII. p. 197, cuius verba adscribam liceat: „Quel cas devait on faire de ces honneurs, prodigués dans un temps, revoqués subitement dans un autre, refusés à la vertu (?) et prostitués à des princes vicieux avec la disposition permanente, de les leur ôter dans le premier mécontentement et de les dégrader de la divinité avec la même impétuosité, avec laquelle on la leur avait décernée.“ Tot honorum sibi delatorum gratiam quandam relaturus Atheniensibus Demetrius, dum otiosus Athenis versatur, uxorem duxit Eurydicen viduam<sup>26)</sup>, quae clarissimo illo Miltiadis genere orta uxor fuerat Ophellae<sup>27)</sup>, Cyrenes principis eoque defuncto in patriam redierat. Quibus

<sup>22)</sup> Droysen p. 438. Cf. Dionys. Dinarch. p. 650. Philochor. apud Dionys. p. 636. <sup>23)</sup> Plut. Dem. 10 et Diodor. 20, 46.

<sup>24)</sup> Id sacerdotium anno demum 287 sublatum esse testis est Plut. Dem. 46. Cf. Clint. fast. Hell. p. 390.

<sup>25)</sup> Plut. Dem. 14.

<sup>26)</sup> Complures iam uxores erant Demetrio, quarum unam Philam, Crateri viduam, admodum iuvenis patre suadente duxisse fertur. Quam cum aetate iam proveciore repudiasset, pater ei in aurem insurrasse dicitur Euripidis illum versiculum: „Οπου τὸ κέρδος παρὰ φύσιν γαμητέον“ uno vocabulo δουλευτέον mutato in γαμητέον.

<sup>27)</sup> De Ophella vid. Arrian. Ind. 18. Justin. XXII, 7. Diodor. 20, 40. Oros. IV. 1, 6.



nuptiis Athenienses, tamquam honorem et beneficium urbi suae factum esse rati, summo gaudio affecti sunt. Inter pocula, meretrices blanditoresque vilissimos Demetrius reliquae Graeciae liberandae videtur prorsus oblitus esse. Augusto vel Septembri mense, ut supra diximus, urbem intrarat; complures deinceps menses otiosus Athenis videtur esse commoratus; nam cum inopinanti ei a patre mandatum esset, ut naves solveret et adversus Ptolemaeum proficisceretur, neque, id quod pater imperaverat, civitatum Graecarum legatos, qui communi Graeciae saluti consulerent, convocare, neque Cleonidam, Ptolemaei legatum, qui Sicyonem et Corinthum urbes praesidio tenebat, pecunia pacta movere potuit, ut urbes liberas esse pateretur. Sed quamvis graviter doleret, quod a bello pro Graecia suscepta abstraheretur, tamen patris dicto audiens exeunte anno 307<sup>28)</sup> naves solvit Cyprumque pervenit<sup>29)</sup>.

Dum Demetrius Ptolemaeo eiusque fratre Menelao magno proelio navali ad Cyprum insulam devictis, Salamine, capite insulae, vi expugnata<sup>30)</sup>, adversa fortuna usus in expeditione, quam una cum patre adversus Ptolemaeum susceperat<sup>31)</sup>, Rhodiorum urbem vehementissima obsidione premit<sup>32)</sup>, Atheniensium, Aetolorum aliorumque Graecorum legati in castra advenerunt, auxilium ab eo petituri adversus Cassandrum et Polysperchontem, quorum alter Corintho potitus Boeotorum civitates coegerat, ut secum foedus inirent, et Panacto Phyleque castellis, quae in finibus septemtrionalibus Atticae sita erant, occupatis, Athenas obsidebat, alter Peloponnesi urbes regionesque depopulabatur<sup>33)</sup>. Quorum precibus commotus, maxime vero iussu patris cum Rhodiis in gratiam rediit ea condicione, ut sibi Antigonoque patri socii essent, nisi contra Ptolemaeum bellum gererent<sup>34)</sup>. Quo facto alteram suscepit in Graeciam expeditionem.

## E x p e d i t i o II.

ann. 304—302.

Sub exitum autumnii anni 304<sup>35)</sup> Demetrius cum classe trecentarum et triginta navium Rhodo profectus multumque equitatum secum ducens cum Aulidem, Boeotiae portum, apulisset, se venisse dicitavit, ut bellum pro libertate Graeciae susceptum continuaret. Quibus promissis adducti, Boeotii, quos coactos cum Cassandro societatem iniisse docuimus, Chalcidem Euboicam paullo ante captam, quam servare a Cassandro erant iussi, Demetrio insulam ingresso ultro tradiderunt. Qua re audita Cassander metuens, ne reditu in Thessaliam intercluderetur, Athenis castra movit et fugientis instar Thermopylas versus profectus est. Neque vero impedire potuit, quominus sex milia Macedonum eorum, qui agmen claudebant, ad Demetrium transirent, et Heraclaea urbs, ad exitum Thermopylarum sita, ultro dedita liberaretur; vix reliquo cum exercitu in Thessaliam se subduxit. Demetrius vero, ut ex insectatione Cassandri revertit, multarum urbium libertate restituta, cum Aetolis et Boeotis foedus societatemque iniit; tum Cenchreis, Corinthi portu, praesidium Macedonicum depulit et Panactum Phyleque castella vi expugnata Atheniensibus reddidit<sup>36)</sup>. Quibus brevi temporis spatio peractis totaque Graecia intra Thermopylas in libertatem vindicata, Athenas, in urbem dilectissimam se contulit, ubi hiemis tempus consumere statuerat. Athenienses autem, quam-

<sup>28)</sup> Cf. Droysen I. p. 441. <sup>29)</sup> Plut. Dem. 15.

<sup>30)</sup> De bello Cyprico vid. Plut. Dem. 15—17. Diodor. 20, 47—52. Polyæn. 4. 7, 7. Droysen p. 445 sqq.

<sup>31)</sup> De ea expeditione vid. Plut. Dem. 19. Diodor. 20, 73—76. Droysen p. 466 sqq.

<sup>32)</sup> De Rhodi obsidione vid. Plut. Dem. 21 et 22. Diodor. 20, 91—99. Droysen p. 473 sqq.

<sup>33)</sup> Diodor. 20, 100. <sup>34)</sup> Plut. Dem. 22. <sup>35)</sup> Cf. Droysen p. 502. <sup>36)</sup> Plut. Dem. 23.



quam antea iam immodicis honoribus atque adulationibus eum quasi obruerant, novis tamen et inauditis adulandi rationibus gratiam eius sibi comparare studuerunt. „Minervam enim ipsam hospitium ei praebere“ dicentes templi Minervae *δαισθόδομον* loco domicilii ei assignarunt. „Demetrius vero, qui Minervam venerari saltem ut sororem natu maiorem (sic enim eam appellari voluit) debuerat, tantam arci conflavit ignominiam, ut, quae facta sint, prolixius enarrare quemvis hominem pudore non prorsus destitutum pudeat<sup>37)</sup>.“ Primo autem anni 303 vere cum copiis terrestribus in Peloponnesum profectus regione, quam Acten vocant, Epidauro et Troezene urbibus potitus Argos contendit, iisque in deditionem acceptis cum forte Iunonalia<sup>38)</sup> celebrarentur, non modo ipse de suis certaminum praemia distribuit hospitesque exceptit, sed etiam ad illustranda et augenda solemnia Deidamiam, Pyrrhi sororem, quae sponsa fuerat Alexandro, Roxanes filio, in matrimonium duxit. Argis exercitum in Arcadium traduxit totamque regionem Mantinea urbe excepta pacavit. Denique in Achaiam iter convertit, ut ultima Polysperchontis, Cassandri, Ptolemaei praesidia in urbibus Peloponnesi collocata pelleret. Primum Sicyonem aggressus est, cui Ptolemaeus Philippum legatum praefecerat. Atque ut quam maxime inopinantes offenderet hostes, Cenchreas antea se contulit ibique otiosus, tamquam nihil hostile moliretur, aliquot dies moratus est. Ubi vero de adventu classis, quae Peloponnesum circumvecta erat, certior factus est, ipse cum legionariis ab altera parte, Diodorus legatus ab altera cum mercennariis urbem, classarii portum eadem nocte simul adorti sunt, quo triplici impetu perterriti Aegyptii urbe deserta cursu in arcem se receperunt<sup>39)</sup>. Statim Demetrius, cum satis spatii interesset inter urbem et arcem, castra metatus machinas muris admovere arcemque oppugnare coepit. Quae ne vi expugnaretur, Philippus veritus, ad Demetrium misit, qui deditionem paciscerentur ea condicione, ut sibi suisque incolumibus in patriam redire liceret. Quod cum concessum esset, Aegyptii, quinquennio postquam Ptolemaeo duce advenerant, domum redierunt. Urbem veterem vidimus longius ab arce abfuisse, quam ut inde periculo imminente defendi posset. Itaque Demetrius Sicyoniis persuasit, cum extra urbem eos habitare diceret, ut urbem in eum, quo postero tempore erat, locum transferrent. Nova urbs Demetrii amicorumque liberalitate non solum aedificiis magnificentissimis, sed etiam ornamentis artificiosissimis ornata est, ut posteriore tempore primum fere locum inter urbes Graecas pulchritudine obtineret<sup>40)</sup>. Pro tot meritis Sicyonii Demetrio divinos quosdam honores decreverunt. Urbem enim ipsam in eius honorem Demetriadem nuncupaverunt, sacra et certamina annua instituerunt aliosque honores *ὡς κτιστῆ* ei tribuerunt. Sicyone liberata et renovata Demetrius profectus est, ut Corinthum a Cassandro, qui urbis praesidium Prepelao legato tradiderat, liberaret. Noctu impetu facto in Lechaenum portum omnibusque ad clamorem pugnantium eo decurrentibus, prodicione manipuli quidam militum Demetrii per montanam portam intromissi sunt. Qua re perturbati Prepelai militum pars in Sisypheum, pars in arcem confugerunt. Neque vero diutius Demetrio oppugnanti restiterunt, sed centum talentis oblati se dederunt; Prepelas ad Cassandrum aufugit<sup>41)</sup>. Restabat, ut minora illa Polysperchontis praesidia in oppidis Achaiae collocata eicerentur. Itaque civium rogatu arce Corinthia occupata dum bellum adversus Cassandrum finitum esset, castris motis Buram vi expugnavit paucisque diebus post Scyrum (oppidum aliunde non

<sup>37)</sup> Plut. Dem. 24.

<sup>38)</sup> Quo tempore Junonalia Argis celebrari solita sint, reperire non potui. <sup>39)</sup> Polyae. 4. 7. 3.

<sup>40)</sup> Athenaeus VI. p. 253: „Πολέμων ἐν τῷ περὶ τῆς ποικίλης στοᾶς τῆς ἐν Σικυῶνι“. Eam porticum Lamia, amica Demetrii, suis sumptibus aedificandam curaverat. Cf. Athenaeus XIII. p. 577.

<sup>41)</sup> Diodor. 20, 102 et 103.



cognitum) praesidio pulso in deditionem accepit. Utrobique liberam rempublicam restituit. Inde Aegium contendit, quod Strombichus, Polysperchontis praefectus obtinuit. Quo cum pervenisset postulassetque, ut urbem sua sponte sibi traderet, is non modo id facere noluit, sed de muro acerbissime ei conviciatus est. Qua contumelia vehementissime incensus Demetrius, postquam machinis admotis urbem vi expugnavit, Strombichum una cum octoginta mercennariis cruci affigi iussit; reliqua mercennariorum duo milia militibus suis immiscuit. Quo rerum exitu perterriti ne reliqui quidem praesidorum praefecti resistere ausi urbes ultro ei dederunt. Sic Graecia intra Thermopylas et Peloponneso liberatis, concilium commune Graeciae in Isthmum advocavit. Quo in concilio quid constitutum sit, prorsus nescitur, nisi quod Plutarchus paucis commemorat, „Demetrium, sicut ante Philippum et Alexandrum, ducem Graeciae designatum esse, quibus illum et fortuna et potentia praesenti elatum haud paullo praestantiorum se duxisse<sup>42)</sup>.“ Concilio autem dimisso Demetrius cum classe Corcyram et Leucadiam profectus insularum alteram a Cleonymi<sup>43)</sup>, alteram a Cassandri dominatione videtur liberasse<sup>44)</sup>. Quam in expeditionem quantum temporis Demetrius impenderit, utrumque maiorem hiemis partem Corcyrae commoratus sit, an insulis liberatis confestim Corinthum redierit, cum nemo scriptorum earum rerum mentionem faciat, incertum est. Munychione (Aprili) mense cum Athenas redire statuisset, litteras dedit ad Athenienses „cupere se sacris statim initiari et a minimis mysteriis usque ad maxima totius sacrificii ritus cognoscere.“ Id neque fas erat neque umquam factum, cum, qui parvis mysteriis mense Anthesterione (Februario) initiatus esset, eum mense demum Boëdromione (Octobri) insequentis anni maximorum participem fieri liceret. Tamen vero lectis litteris cum solus Pythodorus daduchus contra dicere ausus esset, Stratocles rogationem tulit, ut, Munychioni Anthesterionis nomine imposito, eo mense Demetrius sacris ad Agram<sup>45)</sup> factis initiaretur; deinde ut eodem Munychione facto Boëdromione et reliqua sacra peragerentur et ad summa etiam illa adspicienda Demetrius admitteretur. Haec ita facta sunt; cumque Demetrius Athenas reverteretur, iis honoribus vel potius vilissimis et absurdissimis adulationibus exceptus est<sup>46)</sup>, ut difficile sit diiudicare, uter graviore reprehensione vel contemptione dignus sit, Demetrius, qui ea sibi offerri passus sit, an populus Atheniensis, qui pristinae dignitatis oblitus tam serviliter in eum se gesserit. Eo minus est, cur miremur, quod Demetrium iusta atque debita contemptione Athenienses tractasse, atque superbius, quam par erat, in eos se gessisse traditum est. Ex multis unum exemplum afferre satis erit. Imperaverat enim aliquando, ut ducenta quinquaginta talenta celeriter coacta sibi afferrentur. Quo facto omnem eam pecuniam Lamiae ceterisque, quae circum eum erant, scortis ad fucum et saponem emendos dari iussit<sup>47)</sup>. Dum ipse Athenis moratur, ingentes copiae peditum et equitum, sociorum Graecorum et mercennariorum, quin

<sup>42)</sup> Plut. Dem. 25. <sup>43)</sup> De Cleonymo cf. Diodor. 20, 104 et 105. Livius X, 2. Droysen p. 510 sq.

<sup>44)</sup> Apud Athenaeum VI. p. 253 leguntur haec: „Φησὶ γοῶν ὁ Δημοχάρης ἐν τῇ πρώτῃ καὶ εἰκοστῇ γράφῃ. „Ἐπανελθόντα δὲ Δημήτριον ἀπὸ τῆς Λευκάδος καὶ Κερκύρας εἰς τὰς Ἀθήνας, οἱ Ἀθηναῖοι ἐδέχοντο κτλ. Ex verbis „εἰς τὰς Ἀθήνας“ apparet concilium in Isthmo habitum esse non post Demetrii expeditionem Coreyraeam, ut vult Niebuhr: Vortraeg. ueb. alte Geschichte III. p. 135, sed ut Droysenius proposuit, ante eam.

<sup>45)</sup> Agra est regio ad Ilissum cum templo Cereris (Suidas s. v. Agra) vel Dianae. Paus. I. 19, 7.

<sup>46)</sup> Demochares apud Athenaeum VI. p. 253: „ἐδέχοντο (αὐτὸν) οὐ μόνον θυμιῶντες καὶ στεφανοῦντες καὶ οἶνοχοοῦντες, ἀλλὰ καὶ προσόδια καὶ χοροὶ καὶ ἰθύφαλλοι μετ' ὀρχήσεως καὶ αἰδῆς ἀπίντων αὐτῶ, καὶ ἐφιστάμενοι κατὰ τοὺς ὄχλους ἦδον ὀρχούμενοι κτλ.

<sup>47)</sup> Plut. Dem. 27, qui addit: „Ἐνοιὸν δὲ τοῦτο Θετταλοῖς, οὐκ Ἀθηναίοις, ὑπ' αὐτοῦ συμβῆναι λέγουσιν.“



etiam piratarum octo milia pecunia conducta Chalcidem, in quem locum ut conveniretur destinaverat, undique se collegerunt. Quibus collectis cum Cassander Thermopylarum angustias praecoccupasset, exercitu navibus freto, quod interest inter Euboeam insulam et Thessaliam, traiecto, urbe Heraclea Cremaste, quae ad Thermopylarum exitum erat, primo impetu potitus est. Milites praesidii Macedonici in vincula coniecti et abducti sunt, civitati libertas est reddita. Inde orientem versus progressus Antrum et Pteleum castella cepit. Quo facto Cassander metuens, ne circumventus a réditu in Macedoniam intercluderetur, manu haud exigua Pheras praemissa, Othryn montem cum exercitu superavit castraque Demetrii castris opposuit. Ibi cum alteriusutrius armis decernere parum interesset, priusquam nuntius de rebus in Asia gestis perlatus esset<sup>48)</sup>, etsi exercitus saepius e castris prodixerunt, quod memoria dignum sit, non egerunt, nisi quod Demetrius non magis [precibus Pheraeorum quam suo commodo motus Cassandri praesidio sublato eam urbem occupavit. Multo ante Cassander, quod Demetrium copiis multo superiorem se fore intellexit, ne regno orbaretur veritus, ad Antigonum miserat, qui de bello componendo cum eo agerent. Qui cum superbior<sup>49)</sup>, quam par erat, respondisset, Cassander Lysimachum, Ptolemaeum Seleucumque, Babyloniae regem, ad bellum contra Antigonum gerendum concitaverat iisque persuaserat, ut commune periculum ab Antigono et Demetrio sibi imminens propellerent. Quam belli tempestatem ut fortius sustineret, Antigonus filium cum toto exercitu in Asiam traicere iussit. Itaque is patri obsecutus cum Cassandro de Macedoniae eiusque partis Thessaliae, quae in illius esset potestate, possessione pactione facta, navibus solutis autumno anni 302 in Asiam transgressus est.

## E x p e d i t i o III.

ann. 301.

Ibi aestate anni proximi<sup>50)</sup> clarissimum illud proelium apud Ipsum commissum est, quo Antigonum octoginta et unum annos natum occisum, exercitum fusum fugatumque esse constat. Demetrius autem, aegre ex hostium manibus elapsus cum quinque milibus peditum et quatuor milibus equitum Ephesum pervenit, unde parte militum Diodoro duce relicta, classe in Ciliciam profectus Stratonice matrem, annis gravem, in Cilicia eam minus tutam fore ratus, Cyprum ad Philam uxorem deduxit; quo facto celeriter Ephesum reversus, Diodoro ut proditore dolo interemto, naves solvit cursumque denuo in Graeciam direxit, sperans, si Athenae ceteraeque Graeciae urbes, quas paullo ante in libertatem vindicavisset, in fide permanerent, regnum in Asia amissum facile in Europa se esse recuperaturum. Vix autem Cycladibus insulis appropinquaret, cum legati Atheniensium navi obviam facti, Deidamia uxore honorificentissime una cum pecunia, quam discedens Athenis reliquisset, Megara deducta, populiscito esse constitutum docuerunt, ne rex in urbem reciperetur. Quibus ille, etsi beneficiorum oblitos cives esse graviter tulit, satis leniter tamen respondit, neque id se de Atheniensibus meritum esse et illis id maiori futurum esse incommodo quam sibi; se enim Atheniensium neque egere neque poscere ab iis quicquam, nisi ut naves, quas in Piraeo reliquisset, sibi redderentur<sup>51)</sup>. Ea animi lenitate et moderatione admodum delectati

<sup>48)</sup> Diodor. 20, 110: „καταδοκῶν τὴν ἐπὶ τῆς Ἀσίας ἐσομένην τῶν ὅλων κρίσιν.“

<sup>49)</sup> Diodor. 20, 106: „ἔπεμψε πρεσβευτὰς πρὸς Ἀντίγονον εἰς Ἀσίαν, ἀξίων διαλύσασθαι πρὸς αὐτὸν ἀποκρινομένου ὁ ἑκείνου, διότι μίαν γινώσκει διάλυσιν, ἐὰν ὁ Κάσσανδρος ἐπιτρέπη τὰ καθ' αὐτόν.“

<sup>50)</sup> Cf. Droysen p. 537 sq. Clint. fast. Hell. p. 188. <sup>51)</sup> Plut. Dem. 30 et 32.



Atheniensium legati, cives suos omnia facturos polliciti, ut illi satisfaceret, domum abierunt; Demetrius autem, cum sibi copiarum terrestrium non satis esse cognovisset, ut Athenas in-  
 vitas in potestatem suam redigeret, Piraeum classe praetervectus ad Isthmum appulit. Ita  
 tertium Graeciam intravit autumno anni 301, non iam dux magni exercitus, sed profugus  
 neque modo regno paterno orbatus, cuius provinciâs post proelium Ipsense reges inter se  
 partiti erant<sup>52)</sup>, sed etiam civitatum Graecarum auxilio privatus, quarum pars foedere cum  
 Demetrio soluto Cassandrum secuta erat, pars libera republica amissa vel tyrannorum vel  
 optimatium dominatione opprimebatur; solae Megara et Corinthus in fide permanserant.  
 Demetrius tamen, ut erat desertus et proditus ab iis, quos beneficiis arctissime se sibi ob-  
 strinxisse putaverat, animo non cecidit, sed Pyrrho iuvene, cuius sororem eum uxorem duxisse  
 supra diximus, urbibus praefecto, navibus in Chersonesum se contulit, Lysimachi, inimicissimi,  
 qui tum forte in Asia degit, regno bellum illaturus. In ea expeditione urbes regionesque  
 opulentissimas depopulatus tanta praeda potitus est, ut non solum militibus stipendia debita  
 persolveret, sed etiam multos, qui et auro et ducis gloria moti undique ad eum con-  
 fluxissent, mercede conduceret. Accedebat, quod non multo post discordiae ortae sunt inter  
 Seleucum eosque reges, qui Antigoni coniunctis viribus devicti regnum partiti erant, quo  
 factum est, ut Seleucus metuens, ne sibi soli adversus omnes bellum esset suscipiendum,  
 Stratonice filia, quae ex Phila nata erat, in matrimonium petita, Demetrium in suas partes  
 trahere studuit. Quid mirum, Demetrium, cuius regem potentissimum affinitate sibi adsciscere  
 permultum interesset, quippe cuius opibus adiutum amissa se recuperaturum speraret, nihil  
 antiquius habuisse, quam ut ipse filiam in Syriam deductam Seleuco in matrimonium traderet.  
 Cum autem is a socero postulasset, ut pecunia data urbes Ciliciae et Phoeniciae, quae in  
 potestate erant Demetrii, aut omnes aut Tyrum et Sidonem sibi concederet, Demetrius, „ne  
 si millies quidem ut apud Ipsum victus esset, unquam mercede sibi Seleucum generum ad-  
 sciscere dignaturum“ professus, ira inflammatus discessit urbesque eas munivit. Quae dum in  
 Asia geruntur, Cassander iterum Boeotiam in potestatem suam redegerat, atque Athenis quo-  
 que vi potitus esset, nisi per Olympiôdorum, Atheniensium ducem, qui Aetolos commoverat,  
 ut societatem cum Atheniensibus facerent, a conatu eo esset repulsus<sup>53)</sup>. Itaque Lachari  
 Atheniensi, homini audaci et temerario<sup>54)</sup>, suavit, ut tyrannidem affectaret. Quae ubi Demetrius,  
 qui tum forte Cypri morabatur, audivit, cum non dubitaret, quin Athenienses pro tot tantisque  
 beneficiis a se acceptis libenter se in urbem recepturi essent, quartum in Graeciam traicere statuit.

## E x p e d i t i o I V .

ann. 297–294.

Itaque exeunte anno 297<sup>55)</sup> Cypri cum magna classe profectus est. Cum vero initio secunda  
 usus navigatione orae Atticae appropinquaret, tempestate subito exorta maiore navium parte sub-  
 mersa ipse e naufragio aegre elapsus est; tamen paucis quibusdam navibus parvaque manu  
 Athenas petiit. Cum vero parum proficeret, dimissis, qui ex Cypri, Ciliciae, Phoeniciae por-  
 tubus naves collectas militesque sibi adducerent, Messenen ceterasque urbes, quae defecerant

<sup>52)</sup> Plut. Dem. 30: „ὡσπερ μέγα σώμα κατακόπτοντες ἐλάμβανον μέριδας καὶ προσδιενείμαντο τὰς ἐκείνων ἐπαρχίας αἷς εἶχον αὐτοὶ πρότερον.“

<sup>53)</sup> Paus. I. 26, 3 et X. 31. <sup>54)</sup> Paus. I. 25. Plut. de Epicur. p. 1099, e. Athenaeus IX. p. 405.

<sup>55)</sup> Droysen. p. 564 not. 19.



oppugnaturus in Peloponnesum traiecit. Atque quamquam apud Messenen, cum hostium telis nimis se obiceret, gravi vulnere affectus est, ballistae telo maxilla fracta, tamen in incepto perstitit paulloque post et eam urbem et ceteras vi cepit<sup>56</sup>). Interim Athenienses, Demetrium expugnatis Peloponnesi urbibus bellum suis finibus illaturum esse rati, legatos miserunt ad Lysimachum et Ptolemaeum auxilium petituros adversus communem hostem; quorum Lysimachus triginta talentis ilico datis, alia quinquaginta se soluturum esse promiserat, Ptolemaeus non solum quinquaginta talenta largitus erat, sed etiam, si Demetrius urbem aggredere, se classe iis auxilio venturum esse pollicitus erat. Tamen vero Demetrius, Aegina et Salamine insulis oppressis, Piraeo dolo potitus est. Fretus enim communi odio Lacharis tyranni, qui omnibus factionibus aequae invisum se roddiderat, a Salamine, ubi tum forte classem in statione habuit, ad eos qui Piraeum tenebant misit, qui poscerent, ut sibi, qui socius eorum adversus tyrannum venisset, arma praeberentur, quibus mille milites instruerentur. Qui cum nihil mali suspicati misissent, quae poposcerat, Demetrius milites armavit portumque cepit<sup>57</sup>). Quo facto postquam naves manusque, quas colligi sibi adduci iusserat, advenerunt, Eleusine et Rhamnunte captis, urbem terra marique tam arcte clausit, ut brevi fames maxima in ea oreretur. Mercatore enim quodam et gubernatore navis, qui portum intrare conati erant, suspendio affectis, nemo iam urbi obsessae victum advehere ausus est<sup>58</sup>). Postremo autem penuria omnium rerum tanta erat, ut frumenti modius tribus minis, medimnus salis quadraginta denariis emeretur, neque quicquam Lachares ipse amicis ad coenam invitatis nisi capparim apponeret<sup>59</sup>). Ita factum est, ut cum Ptolemaeus, qui ex promisso cum centum quinquaginta navibus advenerat, intellecto Demetrii opes maiores esse, quam ut vinci possent, se recepisset, salutis spe adempta cives, quamquam Lachare auctore legem promulgaverant, ut, si quis de pace cum Demetrio componenda mentionem fecisset, is supplicio afficeretur, legatos mitterent, qui, quae Demetrius iussisset, facturos se esse pollicerentur. Qua de re certior factus Lachares, ne caperetur, servili veste indutus, ore fuligine oblito, corbem manibus gerens ex urbe se subduxit. Neque tamen equites Demetrii insequentes effugisset, nisi nummis aureis in terram proiectis insectatores moratus esset. Qua arte ei contigit, ut Thebas incolumis perveniret<sup>60</sup>). Demetrius autem urbe dedita populum in theatrum convocavit et contionem armatis undique clausit. Dum vero omnes culpae conscii defectionis poenam tremebundi exspectant, Demetrius superioribus scenae gradibus degressus, exordio statim orationis omnem timorem sustulit. Leniter enim et amice levitate et ingratis eorum animis reprehensis, non modo non minis usus est, sed magistratus populo acceptissimos tyranno pulso restitutum iri pollicitus est<sup>61</sup>). Civibus autem fame vexatis centum milia medimnorum frumenti largitus est, quibus, cum quis eum non attice loquentem correxisset, quinque milia subridens fertur addidisse<sup>62</sup>). Quid miramur, quod Athenienses gaudio exsultantes laudibus honoribusque Demetrium quasi obruerunt; quamquam ridiculum est, quod Dromocles rhetor rogationem tulit, ut Demetrio regi Piraeus et Munychia portus a populo traderentur; praesidio enim eos obsessos tenebat<sup>63</sup>). Athenis receptis Demetrius in Peloponnesum adversus Lacedaemonios signa convertit, qui Archidamo duce bellum videntur fecisse<sup>64</sup>). Cui apud Mantineam cum hostes occurrerent,

<sup>56</sup>) Plut. Dem. 33. <sup>57</sup>) Polyæn. 4. 7. 5. <sup>58</sup>) Plut. Dem. 33. <sup>59</sup>) Athenaeus IX. p. 405. <sup>60</sup>) Polyæn. 3. 7. 1.

<sup>61</sup>) Plut. Dem. 34. <sup>62</sup>) Plut. apophth. v. Demetrius. <sup>63</sup>) Plut. Dem. 34. Paus. I. 5, 6.

<sup>64</sup>) Droysenius p. 571 iure suspicatur, Lacedaemonios a Ptolemaeo ad bellum excitatos fuisse. In eadem expeditione Argi quoque vi videntur capti esse. Cf. Athenaeus X. p. 415: „Ἄργος γοῦν πολιορκουῦντος Δημητρίου τοῦ Ἀντιγόνου, οὐ δυναμένων τῶν στρατιωτῶν τὴν ἐλέπολιν προσαγαγεῖν τοῖς τεύχεσι διὰ τὸ βάρος κτλ.; nam cum Demetrius primum anno 303 Argos venit, obsidione opus non fuisse supra exposuimus.



